

lenitate & mansuetudine, non tamquam dispu-
tantes, eumque convincere volentes ostendere;
quæ & qualia sint indicia quæ suspectum reddunt
ipius vitæ tenorem, rogantes eum & obsecran-
tes ut resipiscat in eo saltem temporis articulo,
à quo æterna ipsius salutis sors pendet, eidem-
que prætereà demonstrantes quod quamvis ipi
parati sint sanctissimum Corporis Christi Viati-
cum ei ministrare, ac etiam reipsa illud ei mi-
nistrent, non ideo tamen tutus ipse erit ante
Tribunal Christi, sed potius novi & horrendi
criminis reum se constituet, ex quo judicium
sibi manducabit & bibet; cæterum se non alia
de causa Sacramentum Corporis Christi eidem
ministraturos, nisi ut Ecclesiæ jubenti obtempe-
tent, quæ propter eam quam habet curam, ut
scandala publica antevertar, pro sua etiam pie-
tate ægroti infamiam præcavere studet, & id-
circò eum à sacra Mensa non repellit, dum ip-
sum licet peccatorem in conspectu Domini re-
putet, non tamen in proprio Tribunal publicum &
notorium peccatorem agnoscit. Hanc
itaque judicandi, agendique normam oportet
vos, Venerabiles Fratres, ut potè nostro & Apo-
stolicæ Sedis judicio probatam, inferioribus
animatum Pastoribus, cæterisque Præsbyteris
per Civitates & Dioceses vestras Sacmenta le-
gitimè administrantibus, sequendam & obser-
vandam proponere. Quod quidem judicium
super vigentibus controversiis à nobis interpo-
sum & Ecclesiasticis regulis nititur, & Conci-
liorum olim in ipsis Galliarum Regionibus
habitorum Decretis, & gravium & ipsius
Nationis Theologorum Sententiis fulcitur. Ut
igitur vobis laus fuit illustrium vestrorum Præ-
decessorum exempla sequendo promotas istie

contras